CONCIO

AD

CLERUM LONDINENSEM

HABITA IN

Eccleſiâ Parochiali Sancti Elphegi

JUXTA

COLLEGIUM SIONENSE.

V. ID. *Maii, Anno Domini,* MDCCXLII.

A GUILIELMO BERRIMAN, *S. T. P.*
Eccleſiæ Sancti Andreæ Underſhaft Rectore, & Collegii Sionenſis tunc temporis Præſide.

Auditorum rogatu publici juris facta.

LONDINI:
Typis H. WOODFALL, Jun. impenſis J. CARTER in plateâ CORNHILL, juxta *Burſam* Regalem.
M. DCC. XLII.

694. e 17
12
K

ERRATA.

Pag. 2. *lin.* 15. *pro* quantum *leg* quantam.
Pag. 12. *lin.* 12. *pro* Paſtoræ *leg.* Paſtore.
Pag. 16. *in marg. pro* 1 Cor. ix. 7. *leg.* 1 Cor. ix. 27.

BRITISH MUSEUM

CONCIO

AD

CLERUM LONDINENSEM, &c.

1 Tim. iv. 16.

Ἔπεχε σεαυτῷ, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ· ἐπίμενε αὐτοῖς. Τοῦτο γὰρ ποιῶν, καὶ σεαυτὸν σώσεις καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου.

Attende tibi, & Doctrinæ: Insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.

QUÆ jam prælegimus verba, argumentum exhibent momenti certè gravissimi, Clericorum hominum auribus, & celebritate hâc solenni, dignissimum. En Præconis Evangelici munus, quod sentio quam latissi-

mè pateat, brevi circumſcriptum præcepto! ἔπεχε σεαυτῷ καὶ τῇ διδασκαλίᾳ. En laborum finem, & curarum fructus! τοῦτο γὰρ ποιῶν, καὶ σεαυτὸν σώσεις καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου. De hâc officii communis ratione, quo noſtra paritèr atque aliena continetur ſalus, liceat coram vobis brevitèr diſſerere, & eo quidem animo, non ut importuni Monitoris partes mihi arrogare videar, apud eos præſertim quorum monitis obſequi mihi potiùs honori fore duxerim, ſed ut ita mihi vobiſcum in memoriam revocem, muneris ſuſcepti dignitatem cum difficultate eſſe conjunctam, ut re accuratiùs perpenſâ, collatiſque conſiliis, optimam tum oneris ſublevandi, tum provinciæ adminiſtrandæ viam inſiſtere, & laboris felicitèr collocati finem aſſequi poſſimus.

Cum generis humani ſalus non niſi per Evangelii Annunciationem expectari debeat, quantum hâc in parte vim afferat Præconis Evangelici miniſterium, intellectu eſt proclive. Etenim ab eo Perſona duplex ſuſtineri videtur, tam publica quam privata: & duplex adeò exercetur cura, tum quæ ad mores ſuos, tum quæ ad διδασκαλίαν pertinet, utraque ad duplicem referenda finem, ut tum ſuæ tum Auditorum ſaluti conſulatur.

Jam vero cum ſalutis beneficium ad *Jeſum Chriſtum* Authorem referatur, cui ſoli omnem, in redimendo genere humano, erga Deum dignitatem, erga nos Gratiam efficacem jure merito tribuimus: idcirco quoties ſalutem hominum, vel Miniſtrorum laboribus, vel verbo Dei Scripto, aut etiam Sacramentis, attributam legimus; non hoc de cauſâ efficiente, nedum Principali; non de cauſâ Meritoriâ, aut ſuo jure acceptionem poſtulante; ſed de cauſâ inferiore, de Inſtrumentali (ut Scholaſtici loquuntur) facilè & ſine morâ intelligimus. *Inſitum verbum* eſt *quod poteſt ſalvare animas veſtras*, quatenùs ſcilicet Doctrinam veritatis proponit, & eidem obſequentes in rectum ſalutis tramitem deducit. *Baptiſmus* itidem dicitur *nos ſalvos facere*, ut medium in hunc finem Divinitùs inſtitutum. Interea quicquid eſt efficaciæ, id unicè a Deo Authore provenit, Chriſtóq; Dei filio; unde Deus ipſe nos dicitur *genuiſſe verbo veritatis*, & *ſalvos feciſſe per lavacrum regenerationis, ut ſimus initium aliquod Creaturæ ejus*; & noſmet ideò *renati* dicimur *non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per verbum Dei vivi & permanentis in æternum.*

Jac. i. 21.

1 *Pet.* iii. 21.

Jac. i. 18.

Tit. iii. 5.

1 *Pet.* i. 23.

Ita & consimili de causâ, non modò Beatus Apostolus
Rom. xi. 14. suam dedit operam *ut aliquos salvos faceret*; verùm etiam
Jac. v. 20. *quicunq; convertit fecerit peccatorem ab errore viæ suæ*, dicitur *salvare animam ejus a morte, & operire multitudinem peccatorum.* Hanc autem hominum salutem, quatenùs humanis conatibus attribuitur, non ita debemus æstimare, quasi hominum viribus meritisq; efficeretur: verùm istiusmodi locutiones sensû figurato & improprio sunt accipiendæ, cum per illas nihil aliud denotetur, quam quod, tanquam causæ instrumentales & ab alio ordinatæ, media a Christo instituta adhibent, atque adeò salutem animarum promovent. Ii scilicet sunt Præcones
2 *Cor.* v. 18. Evangelii, quibus *Deus dedit ministerium reconciliationis*, & qui *pro Christo legatione funguntur*, ut doctrinam Evangelicam annuncient, adeoq; media salutis adipiscendæ auditoribus exhibeant. Ideò ut *Dei adjutores* laudantur,
1 *Cor.* iii. 9. qui in *Dei agriculturâ* suam operam locarunt. At cum omnis efficacia a Divinâ Gratiâ & Benedictione pendeat, inde nihil iis, præter laboris externi laudem, attribui consuevit, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed*
V. 7. *qui incrementum dat, Deus.*

Hic

Hic igitùr eſt finis Miniſterii noſtri, ut ſalutem hominum promoveamus, hic ſcopus unicus ad quem omnes labores & ſtudia noſtra dirigi debent & diſponi. Interea vix fieri poteſt, ut qui in ſalute communi promovendâ ſedulò laborant, iidem ſui immemores reperiantur. Imò verò dum fœlicitati alienæ ita invigilant, eo ipſo oſtendunt ſe ſuam haud negligere, cum ad ipſos publica pertineat cura: quin potiùs de iis ita ſentiamus oportet, ut qui rem ſuam agunt, dum alios docent, & ad ipſorum ſalutem oculos præcipuè intendunt, de vitæ ſuæ exitu abundè ſolliciti, *ne forte, cum aliis prædicaverint, ipſimet reprobi efficiantur.* 1 Cor. ix. 27.

Duplex igitùr, ut prænotavimus, eſt finis — & *noſtra ipſorum* & *aliena ſalus*. Duplex itidem eſt cura — ut & *nobis* ſcilicet — & *doctrinæ caveamus*. Et quomodo utraque hæc cura ad utrumque finem obtinendum conducat, id operæ erit pretium brevitèr diſquirere.

Quod ad doctrinam attinet, non ea ex mentis humanæ viribus, non ex innatæ rationis conjecturis, non ex veterum Philoſophorum commentis, ſed ex Divini Spiritûs afflatû, è puriſſimis ſacræ Scripturæ fontibus hauriri debet.

debet. Nam cum ſalutis noſtræ conditiones totæ a voluntate Divinâ pendeant, unde, niſi ex revelatione Divinâ, eas addiſcere poterimus? *Domine ad quem proficiſcemur?* *Joh.* vi. 68. *Tu habes verba vitæ æternæ.* Fruſtra aliunde ſapientiam quærimus! Dei voluntatem ſacris Scripturis revelatam perſpicere & intelligere: — Næ, iſthoc eſt revera ſapere. Idcircò τὰ ἱερὰ γράμματα τὰ δυναμένα σοφίσαι εἰς σωτηρίαν 2 *Tim.* iii. 15. omninò alacres intueamur, ut morum regulam Divinitùs oblatam, ut ſanæ doctrinæ normam à Deo nobis præſcriptam, quam non ex privatæ *voluntatis* motû, *ſed Spiritû* 2 *Pet.* i. 21. *Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.*

At cum ſacræ literæ diverſis temporibus, & ex diverſis cauſis conſcriptæ fuerint, ſummâ opus eſt intentione & omni ſtudio annitendum, ut genuinum earundem ſenſum rectamque interpretationem, in rebus vulgarem captum ſuperantibus, expiſcari valeamus. Quomodo enim vel noſmet ipſi intelligemus, vel alios docebimus, niſi & linguas, in quibus conſcribuntur ſacri codices, perſpectas habeamus, & priſcorum temporum notitiam, quatenùs ſaltem ad fidem ſtabiliendam expedit, adepti ſimus. Adhæc artium & ſcientiarum liberalium cognitione opus eſt, ut tam fidei Chriſtianæ dogmata aſtruere queamus, quàm veteratorum

ratorum fraudes & fallacias detegere. Qui enim ad munus alios docendi ſe accingunt, non decet nudos planè & inermes accedere, nullâ cognitione rerum, nullâ ſcientiâ imbutos; quin accedant potiùs præviâ quâdam Scholarum inſtitutione limati, & iis auxiliis adjuti, quæ perennem futuræ ubertatis fontem aperire poſſint: Ne dum Magiſtrorum more alios docere aggrediuntur, æquius videatur ut ipſi *doceantur quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei, ſemper* hactenùs *diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*, & multo minùs perducentes alios. *Heb.* v. 12. 2 *Tim.* iii. 7.

Sentio equidem præteritis retrò ſæculis extitiſſe, imò verò & etiamnum quoſdam exiſtere, qui furore perciti fanatico à Deo ſe edoctos jactitant, adeóque fine ſtudio & conatû ſuo adhibito, ſuperbiam non meritis quæſitam ſibi ſumunt, ut omnem Divinæ veritatis ſcientiam præ ſe ferant, eo ipſo tamen quod errorum ſe immunes arbitrantur dilapſi in maximos errores. At nos *non ita Chriſtum didicimus*, ut Divini Spiritûs afflatum expectemus ignavi, & nihil prorſus indagantes omnia ſcire gloriemur. Non humanis facultatibus ſemotis aut extinctis, ſed iiſdem purgatis, accenſis, confirmatis, Divinum lumen infunditur; nec eſt fanè quod ſperaverit quiſpiam id quod eſt ſupra *Eph.* iv. 20.

Naturæ

Naturæ vires ſibi a Deo donatum iri, cum ipſe intereà quod Natura valet præſtare recuſaverit. Quod ſtudio noſtro & labore aſſequimur, id Deo acceptum referre procul dubio debemus, eique Authori omnem profectûs gloriam tribuere, qui mentem humanam facultatibus adeò præclaris haud fruſtrà cumulavit, imò verò rectam proinde illarum exercitationem indigitaſſe & imperaſſe videtur, afflatûs Divini beneficia eâ lege pollicitus, non ut in arrogantiæ aut ignaviæ ſubſidium, ſed ut ad ingenii, omni quâ poteſt operâ ad ſcientiarum recondita contendentis, adjumenta profectúmque accedant. At ſi vires haſce a Deo datas exerere detrectemus, quantæ demùm eſt inſaniæ, ut novas ſuperaddi cupiamus? Aut Quorſùm ſpeciali quodam Numinis afflatû doceri poſtulemus, cum Deum jamdudùm docentem, & tam rationis quam Scripturæ voce prædicantem nolimus exaudire?

Eſt verò illud notandum, in ſacris literis interpretandis, non exiguam lucem derivari a primævis eccleſiæ Doctoribus, qui cum propiùs ab Apoſtolorum ætate abfuerint, eâ ipſâ de cauſâ longè meliùs quam ſequioris ævi ſcriptores, ſanctorum virorum & mentem & praxin potuerunt intelligere. Ex eorum ſcriptis multarum rerum cogni-

cognitionem hauriemus, ad ſacros codices elucidandos neceſſariam ; & quæ inde ab initio eccleſiæ dogmata viguerint, non è ſcholâ pontificiâ, non ex *Lutheri* aut *Calvini* placitis, non aliunde fæliciùs quam ex ipſis eccleſiæ monumentis, & veterum Doctorum teſtimonio comprobabimus. Ad eos nimirùm, non ut fidei Magiſtros, non ut religionis Arbitros aut ſummos judices, ſed ut veritatis depoſitarios, ut teſtes fide dignos eorum quæ didicerunt, & iſtius quam acceperunt Scripturæ interpretationis ſedulos cuſtodes jure provocamus. Iis ergo ducibus, genuinum ſacrarum literarum ſenſum fæliciùs eruimus, & ea omnia quæ ad ſanam doctrinam indagandam pertinent, ac præſertim ea quæ ad πολιτείαν & externum Eccleſiæ regimen conducunt optimè addiſcimus.

At nec ſola ſcientia in Dei OEconomis deſideratur, verùm & robur quoddam pectoris, impavidum, impenetrabile, inſidiis paritèr & aperto Marti cedere neſcium, — ut in omni vitæ diſcrimine immotos & propoſiti tenaces ſe oſtendant, — ut pari mentis conſtantiâ malevolorum hominum & riſus & munera & minas ſpernant, — ut eâ ſint animi fortitudine, imò & obſtinatione ſententiæ, quam nec cupiditas corrumpere poſſit, nec gratia avertere, nec metus frangere. Dei oracula qui explicanda ſuſcipit

Interpres, ſumat animos humano majores ingenio & invidiâ; meminerit oportet ſe non opinionum humanarum commenta, ſed Dei Authoris effata proferre; adeò nón affectibus hominum lenocinari ſtudeat, ut prava ipſorum judicia contemnens, è ſacro veritatis fonte doctrinam unicè depromat, & ita ſe componere conſtituat, ut poſſit fortitèr tueri *fidem ſanctis ſemel concreditam*, omneſque vires ac nervos hoc in certamine ſtrenuè exerceat.

Jud. v. 3.

Ita egregias iſtas animi dotes, & ſcholarum inſtitutionem, ad veritatem illuſtrandam, & ad errorem detegendum convellendúmque applicare, id ſummæ eſt ingenuitatis pectoríſque candidi indicium. Ea nimirùm eſt veræ eruditionis laus & gratia, ut religioni famuletur. At ſi hujus planè contrarium obvenerit, ſi major eruditio tantum ſocia ſceleris, & veritati inimica reperiatur, nulla certè eſt reipublicæ aut Eccleſiæ peſtis deterior, — latè ſerpit diſſeminata mali contagio, dum non improbi ſolùm, ſed etiam homines ingenui, & nihil doli ſuſpicantes, ſpecioſâ illâ doctioris Magiſtri, & cultioris ingenii larvâ delusi in errorem devii abripiuntur. Ejus profectò, quod optimum eſſe debet, corruptio eſt peſſima: ut oratore perfido & ingenioſè nequam nihil ſit deteſtabilius; qui ipſi quidem Naturæ bellum indicere videtur, cum eximias facultates, & communi bono deſtinatas, in reipublicæ aut

Ecclesiæ damnum opprobriúmque detorqueat. Adeò ut mutos certè nasci, omníque rationis usû egere, atque institutionis cultû satius fuisset, quam præclara ista Dei munera in communem perniciem convertere. Eorum qui plebi Christianæ præcunt, & vitæ morúmque leges præcipiunt, nullum leve est crimen aut privatum. Sed ficut in republicâ Principes mali, ita in Ecclesiâ vitiosi Sacerdotes, ii præsertim qui dotibus ingenitis vel acquisitis pollentes aliis antecellunt, nihil mediocre aut privatum faciunt vel patiuntur; verùm ipso autoritatis abusû quasi in infinitum peccant, dum non solùm vitia concipiunt ipsi, sed eadem etiam ad aliorum mores translata latiùs diffundunt, nec eo solùm obsunt nomine, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, exempli magis autoritate nocentes quam peccati atrocitate.

Sit itaque curarum prima, earum rerum, quæ ad sacrum officium pertinent, notitiam congerere. Sit huic proxima, at non inde notæ levioris, eadem sedulò in praxin evocare, & diligenter in munere obeundo adhibere, ita ut *instemus opportunè, importunè*, & non privato sed publico commodo invigilantes, omnes facultates & vires nostras, in usum gregis fidei nostræ commissi, necnon Christi sanguine redempti, expromamus. 2 *Tim.* iv. 2.

Cùm verò in Eccleſiâ diverſitas ordinum ſit conſtituta, ideò ſtatuimus curarum rationem atque gradus eſſe diverſos. Epiſcopis, quos ad Eccleſiæ regimen adminiſtrandum ab Apoſtolis præfectos accepimus, ſumma curarum ab initio eſt commiſſa, & íta quidem ut ſinguli Epiſcopi, in ſingulis civitatibus & earundem confiniis, Eccleſiæ præminuerint; quique adeò ſecundi ordinis Preſbyteros, pro rei momento atque animarum numero, in ſui ſubſidium adſciſcere & ordinare potuerint. Totus hujuſce ditionis circuitus παροικία antiquitùs vocabatur. Inferiores autem Miniſtri, Preſbyteri & Diaconi, ita a ſummo Paſtoræ vel Epiſcopo, pro rerum & occaſionum diverſitate emittebantur, ut ad eundem munere perfuncti redirent, & nunquam non autoritati ejus ſubjecti manerent. Iſtum deinde tractum in plures παροικίας minores diviſum cernimus, quarum ſingulæ Preſbyteri cujuſdam curæ ſunt commiſſæ, at eidem Epiſcopo ſubjecti, & ab eodem in officii adminiſtrati rationem denuò reddendam vocandi. Tum poſtea mos in Eccleſiâ inolevit, ut Clerici hujuſmodi παροικίαις præpoſiti *Parochi* vocarentur, antiquo nomine iſtius in civili imperio Miniſtri, qui Legatis & publicis Hoſpitibus omnia ad victum & focum neceſſaria apponenda curavit. Et ut major παροικία eſt Grex Epiſcopi, ita minor quælibet Preſbyteri cujuſvis

Grex

Grex audire meruit. Hoc illud eſt quod noſtram ad rem maximè pertinet. Ita igitùr ad peculii ſive παροικίας, quæ ſibi adminiſtranda obtigit, curam quilibet Preſbyter accedat, ut proprium Gregem paſcere & rectà ducere ſit in omnibus paratus, ne fruſtrà Dei gratiam accepiſſe judicetur, & provinciam ſibi traditam adeò non ornet, ut dedecori potiùs & ludibrio objiciat.

Duplex exinde fructus orietur, alter ſcilicet Paſtori rectè ſe inſtituenti, alter autem Gregi fidei ejus commiſſo. *Et teipſum* (inquit Apoſtolus) *ſalvum facies, & eos qui te audiunt.* Videte Paſtoris boni cura, & in ſacris miniſteriis probè exercitati, qualem quantámque opem afferat ad ſalutem communem promovendam. Neque is ſanè injuriâ dicatur *Auditores ſuos ſalvos facere*, qui iis doctrinæ ſanæ lumen præfert, qui in devium errantes in rectam viam reducit, qui juxta Chriſti inſtitutionem Divinæ gratiæ adminicula miniſtrat, qui denique authoritate, conſilio, exemplo præiens ſuorum mores dirigit & confirmat. Videte iterùm fallacis & iniqui dogmatis Authores, quam diligentèr quam indefeſſo opere allaborent, ut errores ſuos longè latéque diſſeminent, alioſque ſuæ ſectæ ſocios aſcribant; quam *mare terramque* crebris itineribus *circumeant*, ut partium ſuarum faciant Proſelytos, & tanto dignum hiatû præmium reportent. Pu-

Mat. xxiii. 15.

deat

deat tandem pigeatque, eos, quos & muneris graviſſimi ratio, Chriſtique Paſtoris illius ſummi excitare debet exemplum, hebetiorem, in adminiſtrationum ſuarum decurſu, animum fateri, tanquam ἀδιάφορα quædam & levioris momenti res agerentur. Pudeat ſaltem, ut quos cauſæ honeſtate & demonſtratione veritatis longè ſuperamus, ab iiſdem vigilantiæ famâ & induſtriæ, collatis corporis mentiſque viribus facilè vincamur: — ut ii qui figmentis ſuis incruſtandis operam impendunt, ipſis Evangelii & Sanctiſſimæ fidei propugnatoribus ſedulitatis & ſolertiæ laudem præripiant. Hoccine verò humanum eſt, aut etiam credibile, in erroribus propagandis omnes animorum nervos intendi, & ſtudia inflammari; in veritatis autem cauſâ vindicandâ torpere prorſus & langueſcere? Quaſi ſcilicet minùs roboris humanis mentibus indiderit veritas quam deceptio! aut quod a Deo ſubſidia expectat & incrementum, id opis humanæ minùs indigens impunè negligi poſſe videatur, infitarum virium miniſterio penitùs deſtitutum! Quin potiùs reddendæ olim rationis memores, tanto animorum ardore & contentione ad religionis optimæ tutelam noſmet accingamus, quantâ cum pertinaciâ & malignitate hoſtes illi infenſiſſimi de eâdem debilitandâ convellendâque conjuraverint.

Nec

Nec enim minùs ad ſalutem *ſuam* promovendam confert operam fidelis Paſtor, dum ſedulam hanc *gregis* curam adhibet. Qui ſuorum commoda, quibus invigilare debet, prorſùs negligit, ipſe ſibi deeſt; & parùm illi profuerit ſcientiæ aut probitatis privata laus, niſi inſuper accefſerit muneris ſuſcepti fidelis executio, niſi populum ſuæ curæ commiſſum in ſanâ doctrinâ diligentèr erudierit, & *ſincero verbi lacte* fidelitèr nutrierit. Qui Chriſti ſe Miniſtros prædicant, quidni Chriſti opus peragere jure expectentur? Et qui ſalutem Auditorum negligunt, quidni ſuâ ipſorum ſalute excidant, & ignaviæ manifeſtæ pœnas dare cogantur? Ad Eccleſiæ curam eo animo Paſtores accedant, ut non ſibi ſolis, ſed populariun ſuorum, atque adeò Eccleſiæ utilitatibus proſpiciant; meminerint oportet ſe tam publicam quam privatam perſonam ſuſtinere, adeóque quicquid ſcientiarum in ἐγκυκλοπαιδείᾳ Chriſtianâ ipſi congeſſerint, id omne, ut res tulerit, in ſuorum uſus depromi oportere, & tam in publicis ad omnes concionibus, quam in privatâ ſingulorum adhortatione, fidelem ſemper manum porrigi, ne fortè officii proditores deprehendantur, cum *omne Dei conſilium* ſuis *annunciare ſubterfugerint*.

1 *Pet.* ii. 2.

Hactenùs

Hactenùs de *doctrinâ* disseruimus, tum propriam Clericorum *salutem*, tum communem omnium promovente. At *sibimet* ipsis etiam *cavere* monet Apostolus, idque eâdem duplici de causâ, ut & *se ipsos* nimirùm salvos faciant, *& eos qui se audiunt*. — *Sibimet cavere*, non, solùm ut doctrinam sanam ipsi ediscant, populúmque doceant, (quod jam abundè statuimus) verùm insuper ut totum suum officium erga Deum sedulò exequantur, *ad fidem suam virtutem adjicientes, ne fortè quum aliis prædicaverint, ipsi* tamen *reprobi fiant*. Hoc illis perinde ac cæteris Christianis commune onus imponitur, ut ad legum Divinarum normam mores suos componant, certò scientes vitæ æternæ spem ab iis frustrà concipi, qui æquissima Christi præcepta, in quotidiano vitæ curriculo, exequi neglexerint.

2 *Pet.* i. 5.
1 *Cor.* ix. 7.

Age verò, id ex suprà dictis constare teneamus, præter generalia ista, quæ ad Christianos omninò omnes pertinent, ex speciali statû itidem exurgere officia quædam specialia, non Christianorum omnium communia, sed certi ordinis propria, quæ, virtute legum istarum generalium, præcipuam ab iis curam exigunt, qui in ejusmodi ordinem ritè cooptantur. Proinde intelligant Ecclesiæ ministri quid ab iis postulet sacerdotalis dignitas officii;

ut nimirùm veritatem Christianam sincerè prædicent, & in toto munere Ecclesiastico obeundo id unicum studeant, *non ut hominibus placeant, sed Deo, qui corda nostra scrutatur.* 1 Thess. ii. 4. A Clero Christiano longè absit studium partium. Absit ut potenti cuivis Patrono morem adeò gerant Sacerdotes, ut inhonestâ adulatione, turpíve lenocinio, honorum aut reddituum incrementa aucupari videantur. Quin id potiùs agant, ut officiorum, quæ Deo debentur maxima, imprimis memores, ita in muneris administrandi curâ versentur, ut qui de eodem fidelitèr exacto conscia mentis testimonio frui exoptent.

Id quidem boni & cordati viri optandum semper judicarunt, ut ii qui de Ecclesiâ optimè meruerunt, ad eam evehrentur locì eminentiam, unde conspectior virtus & illustrior ad sui æmulationem spectantium posset animos accendere: — ut ad omnes dignitatis gradus & honorum fastigia, non ex novarum rerum studio, non ex iniquo callidorum hominum affectû, non ex consanguineorum aut affinium necessitudine, sed ex solo pietatis & virtutis intuitû, aditus pateret. Ita non modò bonis omnibus stimuli virtutum adderentur, verùm etiam insignitèr promoveri videretur res Ecclesiastica, cum ad eandem augendam autoritatis in alto collocatæ commendatio accederet. Sed

cùm hæc non ſint in noſtrâ poteſtate poſita, noſtrâ maximè intererit, ut a vanis hujus ſæculi blandimentis & illecebris alieni, ad hunc unicè ſcopum intendamus oculos, Deo ut placeamus, haud obliti nos eſſe illius Domini ſervos, cujus *regnum non eſt hujuſce mundi*, & eidem tandem ſummo judici exacti muneris rationem eſſe reddituros.

Joh. xviii. 36.

Nec ſuæ tantum ſaluti conſulunt Paſtores, dum vitam Dei præceptis conformem agunt; ſed aliis inſuper pietatis proſunt exemplo, gregi lumen præferentes, & quæ ipſi ad ſalutem neceſſaria prædicant, eadem præſtando fortiùs commendantes. Ita *ſibimet cavendo*, non modo *ſe ipſos ſalvos facient*, ſed & *eos qui ſe audiunt*. Nec enim tam concionibus publicis, quam vitæ benè actæ decurſû, perpetua cernitur Evangelii prædicatio; cujus vim omnem, cum ipſe ſibi tradat, fortiùs ſubinde meliúſque ſentit docilis ſpectator. Ideóque Paſtores, dum fiunt (ut innuit Apoſtolus) τύποι τῦ ποιμνίυ, *typi* ſeu *exempla gregis*, ſuis moribus, accuratiùs quam ſcriptis, æternæ vitæ ſemitam indigitabunt.

1 *Pet.* v. 3.

Ea hujus ſæculi aut carnis vitia, quæ in omnibus hominibus turpia cenſentur, in iis potiſſimùm qui ſanctioribus ſe officiis devoverunt, & diverſum vitæ inſtitutum laudant ſuadéntque, nemo iverit inficias quin longè ſint turpiſſima. Eorum idcircò maximè intereſt, ut procul abſint ab omni non modò crimine, verùm etiam opprobrio & ſuſpicione criminis; imò nec ſatis putent vitiis carere, dum hoc ipſum vitio verti poteſt, quod virtutibus careant; quin

potiùs pro virili parte id agant, ut non ſolùm inculpatos, ſed porrò laude dignos ſe oſtendant; ne forte in ſuſpicionem eorum fides adducatur, quaſi ea dogmata ipſi vera eſſe non credant, quibus non obſequuntur, nec vero animi affectû eam profiteantur religionem, cui morum contra euntium teſtimonium, & quotidiana vitæ conſuetudo palàm refragatur. Quamobrem abſit ut ea in ſe admittant ſacerdotes, quæ in aliis reprehendunt, contraria plane docentes & ἀσύμφωνα.

Vetus illa eſt calumnia & obtrectatio, regulas Evangelicas eſſe Deo prorſùs indignas, cum ſeveritatem morum exigant, qualem humana non patitur imbecillitas, ab iis interim deliciis arceant & oblectamentis, quæ naturæ cum ſint conſentanea, rationi nequeunt adverſari; adeóque leges tam iniquas non a Numine propitio profectas, ſed quorundam hominum, autoritatem non ſuam ſibi arrogantium, calliditati vel malignitati eſſe tribuendas. At vero quam falſa illa eſt, tum de imbecillitate humanâ, tum de Clericorum aſtutiâ, querela, reipſâ comperire poterunt iſti obtrectatores, cum ex eorundem exemplo ſenſerint, quantum pati valeant & efficere humanæ vires, gratiæ Divinæ adminiculis adjutæ. Nec enim deſunt clariſſima exemplorum lumina, quæ docent nihil non effici poſſe adjuvante Deo: nec ſanè quidquam ipſi cæteris hominibus imponunt ſubeundum, quod a ſe alienum putant, ita lucem exempli laudabilis præferentes, tam in communibus vitæ

Christianæ officiis, quem in speciali sui muneris ministerio, ut alii, cum ipsorum virtutes animadverterint, ad æmulationem excitati, Deo pariter, cujus mandatis obsequuntur, gloriam tribuant.

Nimis jejunè docentur probæ vitæ præcepta, nisi vivi alicujus exempli modulo illustrentur, & indubitatæ praxeôs incitamento urgeantur. Non enim æquè animi affectus excitant ea quæ auribus percipiuntur, atquè ea quæ, in totius vitæ moderamine, publice & coram oculis videmus. Non adeo fugacibus monitis movemur, ac vivo & permanente exemplo suscitamur.

Ita demùm intelligimus salutem hominum, quam divinæ gratiæ imprimis debitam agnoscimus, Christi acquisitam meritis, Christo judice impertiendam, adeò interèa Ministris Christianis tribui, ut qui viam ad eandem obtinendam, fidem scilicet & praxin Christianam, non tantum prædicando doceant, sed & suis moribus ostendant, ornent, patefaciant.

Est igitùr Auditores (ut tandem perorare liceat;) Est quod muneris sacri dignatione quodammodò gloriemur! Est etiam quod de gravissimo ejusdem onere & labore seriò cogitemus! Quæ de sacerdotio Judaico in sacris literis proferuntur elogia, ea facilè intelligitis ad sacerdotium christianum, cumulatiori cum laude, transferri posse. Et enim quam magnificè sentire oportet de illo hominum ordine

ordine, quorum operâ, non *pecudum sanguis*, ac *umbræ victimarum*, offertur; sed ipsius Christi meritis ad salutem hominum consignandam exhibentur, & effectum suum fructúmque amplissimum consequi prædicantur! Quam honorifico versamur negotio, qui unà cum Deo operamur! Quam aliis utili hominibus, ad quos hujus ministerii derivantur beneficia! Quam nobis ritè exequentibus abundè fructuoso! Hic sit præcipuus laborum nostrorum finis ac scopus, nec quicquam in votis nostris antiquius habeamus, quam ut opus a Deo mandatum peragentes, conscientiam puram servemus & illibatam. Impiorum hominum sannas & cachinnos nauci faciamus, si Deo simus accepti; nec hujus mundi gloriolam æstimemus, præ istâ gloriâ quæ a Deo provenit, quæ sola felicitatem impertit sempiternam. Iis nimirùm qui authoritate, consilio, omníque operâ adhibitâ, alios in salutis viam perducunt, uberioris gloriæ merces promittitur. *Qui enim docti fuerint* (ut in prophetiâ *Danielis* legimus) *fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Dan. xii. 3.

At verò alterâ ex parte, si in exequendo munere improbè deficiamus, ingentis culpæ notam feremus, & ultrici Dei justitiæ objiciemur. *Nam si Evangelizavero* (inquit Apostolus) *non est mihi gloria:* scilicet nihil est in hâc re, de quo coram Deo gloriari liceat: *necessitas enim mihi incumbit, væ enim mihi est, si non Evangelizavero.* Cogitet ergò 1 Cor. ix. 16.

secum

ſecum chriſtianus paſtor, quo tandem ore animóque accedet, paſtori illi ſummo & animarum Epiſcopo muneris adminiſtrati rationem redditurus, cum ſuam per incuriam & negligentiam (ne quid gravius dicam) ſuorum animas, pro quibus ipſe Chriſtus extrema pati non eſt gravatus, periiſſe ſenſerit. Ita mentibus inſideat hæc cogitatio, ut hinc terroribus, inde incitamentis adhibitis, excutiatur ſocordia, acuatur ingenium, exſuſcitetur & alatur induſtria. Et cum latiſſimè pateat officii ſacerdotalis ratio, ſive adminiſtrationes publicæ ſpectentur, ſeu privatæ, ita in toto illius decurſû verſari oportet, ut fidei & diligentiæ commendatione non deſtituamur, prout decet eos qui verbi Divini idonei interpretes audire velint, & qui meminerint ſe eſſe *Chriſti miniſtros, & myſteriorum Dei OEconomos.* 1*Cor.* iv. 1.

Hæc animo ſæpe perpendentes non ſegnitèr in vineâ Domini operemur, nec curam nobis commiſſam negligamus, ſed adeò ſedulo & alacri ſtudio in munere pergamus obeundo, ut cum ad Chriſti tribunal ſiſtemur judicandi, reſponſum ſanæ conſcientiæ reddere parati, hanc viciſſim a ſupremo illo judice εὐλογίαν exultantes accipiamus —— *Macti virtutibus* & fælicitate, *O ſervi fideles, intrate in gaudium Domini*, cui cum Patre & Spiritû Sancto ſit omnis honos, laus & gloria in ſæcula ſeculorum. *Amen.*

FINIS.

BRITISH MUSEUM